



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Beda lib. 3. historiae Anglorum c. 27.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, Confessorum atque Virginum, qui dirum pestilentiae malum à suis Clientibus diuina ope propulsarunt, aut eadem ardenter ignem in corumdem corporibus restinxerunt.

**I**ta hoc Diarium meum Sanctorum contra pestem Tutelarium concludo, iterumque novo voto pro me omnibusq; illo utentibus, Deo Tutelari per eorumdem suffragia supplico.

Omnipotens & misericors Deus, supplicibus tuis misericordiam tuam clementer impende: vt qui peccatis nostris, Maiestatem tuam grauiter nos offendisse confitemur, gloriose Virginis & Dei Genitricis Mariæ, sanctorumque Rochi, Antonij, Christophori, Sebastiani, Hadriani, & omnium electorum tuorum intercessione ac meritis, à pestis contagione, fame & bello, tua benignitate seruemur. Per Christum Dominū nostrum. Amen.

---

Beda lib. 3. historia Anglorum c. 27.

**E**Delhun & Ecgbert cū essent in monasterio, quod lingua Scotorum Rathmelfigi appellatur, & omnes socij ipsorum vel mortalitate de saeculo rapti, vel per alia essent loca dispersi, correpti sunt ambo morbo eiusdem mortalitatis, & grauissime afflitti. E quibus Ecgbert (sicut mihi referebat quidam veracissimus & venerandæ canitie presbyter, qui se hæc ab ipso audisse perhibebat) cùm se aestimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco opportuno, coepit sedulò cogitare de actibus suis, & compunctus memoria peccatorum suorum, faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel preteritas negligentias, quas in pueritia sive infancia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abundantius exerceret. Vouit etiam votum, quia adeò peregrinus viuere vellet, vt numquam in insulam, in qua natus est, id est, Britanniam rediret. quod præter solennem canonici temporis psalmodiam

modiam (si non valetudo corporis obsisteret) quotidie psalterium totum in memoriam diuinę laudis decantaret. quod in omni septimana diem cum nocte ieiunus transiret. Cumque finitis lacrymis, precibus, & votis, domum rediret, inuenit sodalē dormientem, & ipse quoque lectulum consendens, cœpit in quietem membra laxare; & cum paululum quiesceret, exercefactus sodalis, respexit eum, & ait: O Frater Ecgberste, o quid fecisti? Sperabam quia pariter ad vitam eternam intraremus. Verumtamen scito, quia quæ postulasti accipies. Didicerat enim per visionem, & quid ille petisset, & quia petitum imperasset. Quid multa? ipse Edilbun proxima nocte defunctus est. At verò Ecgbertus decussa molestia ægritudinis, conualuit, ac multo post tempore viuens, acceptumque sacerdotij gradum dignis ornans actibus, post multa virtutum bona, ut ipse desiderabat, nuper, id est anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimo nono, cum esset ipse annorum septuaginta, migrauit ad regna cælestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentia, simplicitatis, & iustitiae perfectione. Vnde & genti suæ & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum siue Pictorum, & exemplo viuendi & instantia docendi, & auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his quæ à diuitibus acceperat, multum profuit. Addidit autem votis quæ diximus, ut in Quadragesima semper non plus quam semel in die reficeretur, non aliud quam panem ac lac tenuissimum, & hoc cum mensura gustaret. Quod videlicet lac pridie nouum in phiala ponere solebat, & post noctem ablata superficie crassiore, ipse residuum cum modico, ut diximus, pane bibebat. Cuius modum continentia, etiam quadraginta diebus ante Nativitatem Domini, tortidem quoque post peracta solennia Pentecostes, hoc est, quinquagesimæ, semper obseruare curabat.

Porrò hic est ille S. Ecgbertus qui instar duodecim Apostolorum, ex diuersis monasterijs duodecim Apostolicos viros in fide constantes, Willibrordum, Switbertum eorumque socios misit in Belgium, qui anno 690. Traiectum appulerunt, & constanter Christum euangelizauerunt, atque Deo cooperante, multum animarum lucrum in Frisia, Hollandia, alijsque in locis fecerunt. Vnde maxima beneficia ille Belgio nostro praestitit; dignus qui ab eodem religioso cultu honoretur. Festus eius dies in Martyrologio Rom. ponitur. 24. Aprilis.

PPib.